Strena Christiana

Sive

HORTATIUNCULÆ

Ad

PRÆCIPUOS VIRTUTUM
actus exteriores,

Sana Doctrina & Pietate
refertæ.

Per

Harbotellum Grimstonium Baronettum, Sacrorum Scriniorum Magistrum, Primi Parliamenti sub Serenissimo Domino Rege *Carolo* II. Anno Regni sui XII. Prolocutorem.

Certus est hic sermo, & hæc volo te asseverare, ut qui crediderunt Deo, curent bene agendo præ[illegible]
Pauli epistola ad Timm, Cap. 3. v. 8.

LONDINI,

Sumptibus *A. Crook & Joh. Wright*
MDCLXXIV.

Sa

Di

H

Dica
nedu
cem
theat
cis F
Dedi
pite
nemp
te ex
quas
tis o
affec
ferat
beas

Filio suo soli

Samueli Grimstonio.

Dilecte Fili,

H*Ic liber* (*Fratri tuo immaturâ morte correpto Dicatus*) *me non advertente, nedum approbante, primò in lucem prodiit: & nunc denuò in theatrum productus à me* (*publicis Regni negotiis ferè penitus Dedito*) *perfici non potuit, Capite unico auctiorem invenies, nempe de Peregrinatione, cum te exteris regionibus designarem; quas licet* (*quibusdam insperatis occurrentibus*) *nondum sis assecutus, tamen si quandò ità ferat animus, ut in promptu habeas memoranda quædam non omni-*

omnino incommoda, supplementum illud adjeci. Operæ pretium erit, si te, sedulo lectore gaudeat, namque tuam præcipuè spectat salutem, si quos obiter magis pios aut magis sanos effecerit, in lucrum numerabo. Quandoquidem ad tempora pervenimus, quæ nec Vitia patiuntur nec remedia, non sum qui tacitus sinam mea viscera perire. Hoc paterni amoris monumentum, sanctè vivendo ornatius reddes, Quod ab omnibus legi velis, tu imprimis meditare: Ut cum te numerosâ prole multiplicaverit Deus, non tàm librum hunc quàm te Posteri legant; & uterque sacer sit seris Nepotibus. Quod optat speratque

Pater Vester Amantissimus,
Harbotellus Grimstonius.

10. Calend. Nov.
An. Dom. 1673.



STRENA CHRISTIANA,

Sive

Hortatiunculæ ad præcipuos virtutum actus exteriores.

CAP. I.

Actus Fidei.

1. MAnè à ſomno poſt ſolennes hominis Chriſtiani preces conſtitutus animo ante conſpectum Dei edes fidei tuæ profeſſionem, recitans Symbolum Apoſtolorum.

2. Sint caſtæ deliciæ tuæ ſcripturæ ſacræ, has ſæpenume-

rò

rò legas, & verbum Dei exactissimam esse veritatis regulam firmissimè crede. In rebus fidei nihil admittas, nisi quod cum fundamento Prophetarum & Apostolorum subsistere potest. Tu mane in iis quæ didicisti: sacræ literæ te possunt peritum reddere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu, 1 *Tim.* 3. 14, 15. Nè addas verbis Domini, nè fortè increpet te, & mendax deprehendaris, *Prov.* 30. 6.

3. Biblia sacra omnibus hujus mundi divitiis præfer, & humili reverentiâ, quoties lecturus es, in manus sume, & ad hunc modum ora: Domine Jesu, resera mihi clausa, revela abscondita, pande mysteria, dilucida obscura, defini dubia: fac

fac me vitia odio habere, virtutes amare, supplicia timere, præmia respicere; in his quæ vera novi custodi me, in quibus ut homo fallor, corrige me; in quibus veris titubo, confirma me; à falsis & noxiis opinionibus eripe me, ut sic verbum tuum rectè intelligam & religiosè colam, inque eo edificer, ad sacrosancti nominis tui gloriam, atque ad mei ipsius aliorúmque salutem. Amen.

4. Vitam tuam & mores, ad normam pietatis in voluminibus sacris comprehensæ, compone.

5. Cum ad flagitium aliquod, turpe præsertim, vel designandum animo, vel opere clàm patrandum instigaris, hunc fidei actum exerce,

Credo firmissimè hic, ac ubique Deum meum præsentem esse, non actionum modò, sed etiam quarumvis cogitationum inspectorem, scrutatorem, & severissimum Judicem. Non video te quidem Deus mî : Sed tu tamen vides me. Impudens ego in tuo conspectu tantum scelus admittam ? ah, millies potius moriar.

6. Sæpè orabis, aliaque bona opera repetes ad impetrandam à Deo conversionem, tum hæreticorum, tum Ethnicorum, sive per te, si quid in hoc genere possis, sive per eos qui fidei propagandæ studio operam navare possunt & debent.

7. Denique fronte exporrectâ vultúque constanti, fidem, ac Religionem Christianam pieta-

tatémque profiteberis, quoties res & tempus exigent. Quòd si fidem (spiritualis ædificii basin) succutiat dæmon, (quod in morte præsertim efficere molitur) tu è contrà, non disputo tecum, inquies, sophista diabole; quas argumentorum umbras obtendis, fugio, detestor: securè credo, quod Deus per Prophetas, Evangelistas & Apostolos Ecclesiæ revelavit, in solum Christi meritum, & in solam Patris cœlestis misericordiam in Christo, & propter Christum mihi & omnibus fidelibus promissam, omnem meam fiduciam colloco: In hac fide vivam & moriar, quod protestor. Quare, si per delirium verbum aliud aut aliter sonans exciderit, indictum volo. Adauge, Domi-

mine mî, hanc fidem, & tu ipſe ſponde pro me,quia vim patior.

Cap. II.

Actus Spei.

1. MAnè, inter reliquas quotidianas preces,ita orabis.

Deus infinitè potens, & ſummè miſericors, ego imbecillis & miſer, qui ex me nihil habeo, nihil valeo, nihil ſum, accedo ad te omnis boni fontem, ac infinitæ tuæ bonitati, meritíſque Filii tui,Redemptoris mei innixus, ſpero firmiter me à te obtenturum gratias, virtutes, auxilia, cæteráque omnia bona, tum corporis, tum animi, quæ mihi neceſſaria ſunt, ut ad cœ-

leſtem beatitudinem pertingam. Ah quando id erit! Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Da ſic curram ad brabium, ut comprehendam.

Hic Orationem Dominicam magno animi ardore pervolves: Pater noſter, &c.

2. Cum die ſudo, ſerenâve nocte cœlum ridet, arridet humus, aut aliud quidvis placet, venuſtum, opulentum, magnificum; exclama cum S. Auguſtino: Si tanta, Deus mî, facis nobis in carcere, quid ages in palatio? ſi tam innumera & varia nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quàm magna & dulcia ſolis es largiturus amicis? ſi tanta ſolatia in hoc die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum?

3. Cum affici te ſentis ad res infimas, reprehende teipſum, & hoc tibi probrum objice: Quid, animule mi, quid reculas iſtas miramur, & tanto ſalutis periculo, quæris opes? Deus eſt omnia, mundus nihil. Amas voluptates? Deus cœlo repoſuit æternas. Ambis honores? veros ſectare: quid umbras, fumos, fungos ſequimur? Denique quid ſola voluntate mentem paſcis, id eſt, ſiliquis porcorum, regali dignus menſâ? ſuſpira & ſuſpice cœlum, cui nati ſumus: illic bona & magna & æterna ſunt: cætera tanquam te minora pedibus & animo preme, imò calca.

4. Cum acerba & dura pateris corpore, morbis aliiſque miſeriis afflicto, aſinum tuum

malis fatiſcentem hoc ſtimulo adige. Non, ut jam, ita erit ſemper; imo nec erit diu; breve eſt quicquid finem habet. Atqui ſcio, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. *Job* 19. 25.

5. Cum res acerbæ, Dei & ſalutis causâ, animo intùs reluctante, tamen exorbendæ ſunt; poculum hoc ſaccaro & melle oblines. Non ſunt, anime mi, condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Leve &

momentaneum hoc, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ non videntur æterna ſunt, *Rom.* 8. 18. 2 *Cor.* 4. 17.

Hoc ſudario egregius pugil Paulus omnem graviſſimorum laborum ſudorem abſtergebat; hoc propoſito brabio, cæteri fortiſſimi Athletæ cum beſtiis, cum ignibus, crucibus, morti-bus ipſis fortiter pugnarunt, vicerunt. Si tentationum vi, in deſperationis abyſſum, in mortis præſertim agone præcipitari te ſentias; ſpei anchoram projice: dic, Quid naufragaris anime? ſpera in

De-

Deo, quoniam adhuc celebraturus ſum eum, omnimodam ſalutem faciei meæ, & Deum meum: *Pſal.* 43. 5. projice te in eum, non ſubtrahet ſe ut cadas. Infinitè bonus eſt, pronior que ut beneficia conferat quàm tu petere aut ſperare poſſis. Pater eſt, ipſe enim te fecit, & tanti fecit; ut, pro te ſervo redimendo, Filium ſuum tradiderit: Hic autem circiter triginta tres annos quid non fecit? quid non eſt paſſus? Jeſum ipſum habes advocatum apud Patrem, propitiationem pro peccatis tuis, & ſanguis hujus Jeſu Chriſti emundabit te ab omni peccato, 1 *Joh.* 2. 1, 2. 1 *Joh.* 1. 7.

Eia, adeſto mihi, optime Jeſu, ne ſanguis tuus in me pe-

reat, adſis clienti. Tuo præſidio munitus, dum ſpiravero, ſperabo: & licet conſurgant adversùm me caſtra, non timebit cor meum.

C A P. III.

Actus Charitatis in Deum, & zeli divini honoris.

1. SÆpe has faculas ore jactabis, quæ animum ad Dei amorem incendant. Scriptum eſt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua; & ex omnibus viribus tuis; & qui non diligit, manet in morte, *Mat.* 22. 27. qui non diligit fratrem, 1 *Joh.*3. 14. multo magis qui non diligit Deum. Præcipis ergo, bone

ne Deus, ut te amem, & mortem & quidem æternam mineris. Annon ſatis magna pœna eſt, ſi non amem te? aut an opus eſt his vinculis legum, & tot minarum, ut ad tui amorem adſtringar? adeò ſum mentis inops, ut tua beneficia, gratias, perfectiones infinitas ignorem? an potius tam vecors & excors, ut cor minimè habeam, quo bonum infinitum amem? te, inquam, bonitatis abyſſum, te immenſam bonitatem? Jam ſi amor amore compenſari debet, quis amor amori tuo par eſſe poteſt? ab æterno amaſti me, cum non eſſem, nedum redamare poſſem. Animam, corpus, res univerſas condidiſti mei causâ, nullo ſanè commodo tuo; atque eaſdem etiamnùm

nùm conſervas mei causâ. Angelis tuis mandaſti, ut cuſtodiant me in omnibus viis meis, etiam tum cum pecco in te. Mercedem meam voluiſti eſſe magnam nimis: & ut eâ potiar, vocaſti ad gratiam, eâque pro tempore amiſſâ, revocaſti ad pœnitentiam toties. Suave hoc; ſed longè ſuavius, ô dulciſſime Salvator, quòd volueris, Deus, fieri homo, tam dura, & tam dira pati, ac denique in cruce mori pro me, qui te morti (O me crudelem) addixeram. Hoc verò omnium eſt ſuaviſſimum, quòd morti vicinus Sacramentum Corporis & Sanguinis tui inſtitueris, pignus admirabile tui in me amoris. In tantorum autem beneficiorum compenſationem nihil à me requiris, ni-
u

ut redamem. O amorem! O extaſin amoris! quàm digna es, O bonitas infinita, ut ſummè ab omnibus & ſuper omnia ameris! Ita ergo amem te, O Jeſu mî, Salvator amantium & Salvatorum amor: Abſorbeat me vis amoris tui, ut amore amoris tui vivam & moriar; qui amore amoris mei dignatus es mori.

2. Ubi his faculis in animo divini amoris ignem excitaveris, mox prorumpes in has vivaces flammas. O Deus mî, bonitas infinita, ego te amo ſuper omnia, diligo te ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis: firmiſſiméque ſtatuo omnia tua præcepta implere, & me ſemper conformare ſanctiſſimæ tuæ voluntati. Et propter quid ſic amo te? Sanè

ob

ob hanc præcipuè causam, quia dignus es infinities plus amari quàm amare possim, ob immensam perfectionem tuam, incomprehensibilem potentiam, altissimam sapientiam, infinitam sanctitatem ac bonitatem tuam id est, propter temetipsum, O Pater, O Fili, O Spiritus Sancte, tres personæ, unus Deus super omnia amo te, qui es mihi omnia

Hunc actum juverit elicere sæpius; & præsertim quoties gravius tentaris: valet enim ad perseverandum in gratia.

3. Identidem in Cœlum intuens, ac suspirans, arcesses donum charitatis in Deum, hac precatiuncula. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas, Deus mi

accende me : ah ſerò amo te, pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò amo te. Noverim me, noverim te; ut odio habeam me, & diligam te.

4. Gaudebis, cum ſenties ipſe, & aliunde intelliges tibi quidpiam fieri, aut evenire ex ſpeciali ordinatione divinæ providentiæ: etiamſi res adverſæ & acerbæ accidant: illudque Job viri Sanctiſſimi carmen accine, Sicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum, *Job* 1. 21.

5. Mœrorem animo contrahes, ſi quid acciderit, quod divinæ voluntati diſſentiat aut repugnet: ut ſi quis divinam majeſtatem aliquo flagitio offendat, id ægerrimè, inquam, ſuſtinebis, noxamque omnem

aut

aut impedies, aut tolles, si qu
possis.

6. Si dæmon gravi quavi
tentatione te divexet, sic pre
care: Tentas me, Domine, a
amem te, neque tamen ultr
id quod possum. Scio, quò
sine gratia tua spernerem te, (
omne bonum, ut teterrimo ho
sti placerem, æternùm luituru
momentaneum gaudium. A
juravi & statui custodire jud
cia justitiæ tuæ. Adjutor me
esto, ne derelinquas me; nequ
despicias me.

7. Quando peccati gravior
periculum aliud quodpiam, o
casione inciderit: discerpar
mille partes, rumparque potiu
inquies, quàm ut amori divi
rem quamvis præponam, Ch
stianumque istud sæpius dæm

i tentanti obtrudes; malo mo-
i, quam fædari. Quod ſi prola-
pſus ſis miſer, fac, mox reſurgas,
& cum Deo per renovationem
actus divini amoris, per averſio-
nem à malo, & converſionem ad
bonum, in gratiam, propter me-
ritum Chriſti, redire labores.

8. Imò verò minimam cul-
pam, ſciens, volenſque, aut ſal-
tem ex propoſito, ac certo ani-
mi decreto ne admitte, ne qui-
dem amiciſſimi hominis gratiâ.
Amicitiæ humanæ omnes prius
peſſum eant: quàm ut Dei amor
tantillùm periclitetur.

9. Apprecaberis omnibus, &
à Deo obtinere contendes ipſius
cognitionem, amorem, cultum:
Conaberiſque, quoad in te erit,
efficere, ut eum omnes cogno-
ſcant, ament, colant.

10. Sæ-

10. Sæpenumerò ſacræ Chriſti Menſæ particeps eſto, tum ut illi per fidem arctiùs conjungi, tum ut cum eodem, in ſpiritu ſuaviùs familiariúſque converſari, imò deliciari poſſis.

11. In rebus quibuſcunque creatis, Deum, qui etiam in minimis maximus eſt, intuebere in illis ipſum, & in ipſo illas amabis. Solem vides? Deus eſt, exclamabis, qui pulcherrimam, jucundiſſimamque illam lucem diffundit, qui etiam infinities pulchrior eſt. Apponuntur cibi? Deus, inquies, iſta mihi apparat. Idemque ages in cæteris.

CAP. IV.

Actus Religionis in Deum.

1. IN rebus afflictis aut dubiis ad Orationem confugito.

2. Cum quavis de cauſa, aut ubivis, aut quandovis, Numini ſupplicas; hoc non ſolùm interno animi affectu agas, ſed etiam geſtu corporis externo ſubmiſſionem & reverentiam Deo exhibeto, niſi ſit in Oratione ſecreta, quæ Dei cognitioni tantùm præſtatur, præſentibus aliis, in qua geſtus & ſigna externa, quantum fieri poteſt, debent occultari, ne ſuſpicionem præbeamus vel hypocriſeos, vel affectationis inanis gloriæ cum Phariſæis, *Matth.* 6. 5. Et niſi

ſit in brevioribus Ejaculationibus deſiderii noſtri coram Deo in quibus geſtus externus non poteſt ſemper attendi.

3. Orationes publicas, Conciones, aliáque Pietatis officia frequentato: dicito cum Davide, Lætor de eo quod dicitur mihi, Domum Jehovæ adeamus *Pſal.* 122. 1.

4. Res divinas ritè procurato, ſacra fieri curato, decorem domus Dei diligito.

5. Si opes ſuppetunt, Templa ornato, libros, calices, veſtimenta, & alia ornamenta tuis ſumptibus comparato, iis potiſſimum locis, ubi cultus divinus minus piè ac purè peragitur.

6. Certa tempora conſtituta ad privata pietatis exercitia habeto, eaque non ſolùm ex con-

ſuetudine obſerva, ſed ſeriò impende, ad pietatis incrementum.

6. Juramentis ne aſſueſcito; ſi quid juraveris, ſervato.

7. Vota, niſi præmeditate ne nuncupato; ubi nuncupaveris, ſanctè exolvito.

9. Vitam Jeſu Chriſti, & omnium ſanctorum, in iis quæ imitari poſſunt, & debent, imitari ſtudeto.

10. Pios ritus inſtitutáſq ceremonias verbo Dei non repugnantes, magni facito: Superſtitionem è contra omnem execrator.

Cap. V.

Actus Charitatis erga proximum.

1. SI quos florentes, & beatos videris, in iis Deum omnis boni fontem; contrà, si quos laceros protritósq; aspexeris, in iis Christum crucifixum intuebere: eâ cogitatione in utriusque sortis homines amoris igniculos concipies, & foras ejaculabere. Amicos, inimicos hîc, nihil distingue. Charitas, eos, illos æquè amplectitur: illos quidem teneriùs, hos verò generosiùs.

2. Contendes votis, precibus, omni opera, & studio; ut omnibus, ex naturæ, rerum, gratiæ præsertim divinæ præsidio

sup

ſuppetant, quibus verè beati eſſe
poſſint. His bonis ſi quos afflu-
ere, benigniore rerum ſucceſſu
frui perſpexeris, geſtientis intus
animi ſigna, frontis, oris, totiúſq;
corporis hilaritudine expromes:
quos iis carere, ſi impendente,
aut præſente etiam malo, peri-
clitari; ægritudinem animo ha-
bebis, vultúmq; contrahes; ca-
lamitatem, ſi quà poſſis, amoli-
eris.

3. Aliena ſenſa, dictaq; facta,
in meliorem partem interpreta-
bere; aſpernabere neminem, ni-
hil de fama cujuſquam detrahes;
nullo convitio probróve laceſſes
quempiam: honorem cuique
deferes ſuum: ſi quis alteri ob-
trectet, oblatret, obmordeat, i-
bis contrà, ſi fas eſt, &, quo
poteris clypeo, laborantem tue-
bere.

 4. Quos

4. Quos poteris in divino timore & cultu promovebis, & ad bona opera inſtigabis. Verbis quidem id ages, ſed exemplis etiam malim; illa movent, hæc trahunt.

5. Nulli opem imploratam denega, mutuò, commodatóq; des, ſi rogaris: imò ne rogatus quidem officia & obſequia ſponte defer.

6. Eſurientem paſce, ſitientem pota: hoſpitem collige: nudum operi: infirmum viſita: carcerem adi, captivúmq; redime: mortuum ſepeli. Corporibus iſta charitas impendit, quæ ſequuntur, animis.

7. Ignorantem doceto: peccantem corrigito: conſilio, fluctuantem juvato: afflictum ſolator: injurias perferto: offen-

fam

iam remittito: pro aliis, etiam pro inimicis, orato.

8. Inter amicos, amicitiæ nodum serva, imò adstringe. Si solutus es, redintegrato. Fac, in gratiam redeant, qui dissident; lites, rixas, charitatis fœdissimam pestem, insectare, imò jugula, perime. Hæc & quæcunq; alia sunt misericordiæ & beneficentiæ opera, libens præstato.

CAP. VI.

Actus Zeli salutis animarum.

1. STatas preces pro Ecclesiâ, nominatim pro Rege, consorta sua, liberis suis, magistratibus & ministris, tibi indicito: plurimùm interest boni

pub-

publici, personis quæ ad multo
spectant, consuluisse.

2. Libris editis, catechismis
exhortationibus, concionibus
prælectionibus, seu per te, seu ali-
os, munificentiâ erga Academia
& Scholas, &c. quibus artibus &
opibus vales, bonum animarum
promove.

3. Si quis aliquod crimen
admittit, vel jam admisit, o-
mnem lapidem move, ut impe-
dias, aut tollas: ita cura, ac si
ipsemet vulnus accepisses.

4. Et si Deo posthac placue-
rit te patremfamilias efficere, &
tibi cum conjuge & liberis be-
nedicere, decet te de iis singula-
rem habere curam: hi ad te
propiùs pertinent. Liberos à
teneris erudi, nutricem probam
bonos magistros advoca. Hi

res magna agitur: si liberi & servi graviùs peccaverint, severiùs objurga & castiga, conjugem prudenter rege, & ad bona opera instiga: sed filiarum præsertim pudicitiam perdius & pernox excubitor observa & serva; nihil eo Thesauro expositum magis.

5. Denique totam familiam piè & religiosè institue. Manè & vesperi à singulis privatim, atque etiam, si convenienter fieri possit, communiter oretur. Hi, quibus vacat, rei sacræ intersunto, & ad templum temporibus constitutis deducantur. Hæc familiæ lex esto. Quisquis has ædes habitat, sobrietatem, castitatem, justitiam, religionem, probitatem denique omnem colito. Ne mentitor: Ne

Ne pejerato: Ne blasphemato: Ne aliis detrahito: Ne poculis ac lusibus intendito. Ne verbis factísve cujúsquam oculos, aures, animum, lædito. Qui secus faxint, abscedunto.

Cap. VII.

Actus Pœnitentiæ, odii peccatorum, & contritionis.

1. POenitentis animi medullis has identidem faces injice: Heu me! quid cogitavi, quid dixi,quid feci demens! peccavi contrà rationem, contrà conscientiam, & in quem? & quis? Egóne vile & projectum cadaver, nihili homulus, re quavis tetrior & nequior, ausus sum, & quâ fronte impuden

ens, in ipſius Numinis conſpectu, ſcelere meo impetere Creatorem, qui me ex nihilo fecit? Redemptorem, qui me ſuo ſanguine refecit? Deum meum, omne bonum meum? atqui ſtipendium peccata mors. Ah quam horrendum eſt incidere in manus Dei viventis! *Hebr.* 12.29.

Ergóne pro momentanea voluptatula infamis mercator, Cœlo contempto, æternos mihi ignium inferorum cruciatus comparârim? Ah! pudet me mei, etſi nemo alius conſcius foret; quid verò erit cum toti olim mundo revelabuntur fœditates & turpitudines meæ? Sed quàm immani ingratitudinis vitio ſcelus eſt à me perpetratum in eum, qui tot me be-

neficiis prosecutus est ? Qui tot beneficia contempsisse me ! O ingratissimum ! quasi pedibus proculcasse ejus sanguinem ? O me crudelem ! O ter impium ! crucifixerim ego te toties, bone Jesu, & patiaris imò brachia extendas ad amplexum ? caput submittas ad oscula ? O infinitam bonitatem poenitet me scelerum meorum non tam quia cœlum perdidi inferorúmve ignes commerui sed quia te optimum parentem meum offendi, qui non modò non punis, sed etiam vocas, & ut veniam petam, jubes; minimè id jussurus, nisi parcere velles.

Et ecce prostratus coram te tanquam filius prodigus, nunc clamare incipio, Pater, pe-
ca

cavi in cœlum & coram te: non ſum dignus vocari filius tuus, *Luc.*15.18,19. Sed tu miſerere, Pater.

2. Ubi incaleſcere animum ſenſeris, mox in has vivi doloris flammas prorumpes: O benigniſſime Deus mî, O ſuaviſſime Jeſu, doleo ex intimo corde, quòd Majeſtatem tuam, ac bonitatem infinitam peccatis meis offenderim, quam debeo & nunc volo amare, amóque ſuper omnia: idque quia tu es Deus infinitè potens, ſapiens, ſanctus & bonus: cui peccatum ſuprà quàm dici poteſt, ſummè diſplicet, & adverſatur. Quare propter hunc tui amorem firmiter etiam ſtatuo non ampliùs te offendere, omnes peccandi occaſiones fugere, omne id, ad quod

obligor perficere, remitte tu mihi, ſicuti ego nunc aliis remitt ex animo, ſi quis me unquam offenderit. Utque ſupplicit peto veniam delictorum meorum, ita ſpero fore per meritum pretioſiſſimi ſanguinis tui, Bone Jeſu, ut impetrem quod peto tuâque adjuvante gratiâ vitam corrigam, & ad mortem uſque in tuo ſervitio perſeverem. Amen.

Hunc actum utile erit elicere manè, veſperi, & quoties in peccatum lapſus fueris, ad gratiam Dei recuperandam.

3. In teſtimonium animæ afflictæ carnem caſtiga, ſubtractione deliciarum, ſobrietate & temperantia in victu, jejunio, laboribus vocationis, & precibus, quibus edomatur caro laſciva,

spiritui ſubjicitur, non tamen peccatorum remiſſionem per hæc exercitia te mereri exiſtimes.

Cap. VIII.

Actus humilitatis.

1. HOmo es nauci, ac nihili: inſanis, ſi quid tibi arrogas: quare ſi quando laudaris, aut ab aliis æſtimaris: in Deum omnis boni fontem, unde in te, ſi quidpiam eſt, profluxit, totum refunde.

2. Si vel ſemel duntaxat per omnem vitam peccatum aliquod in Deum vel proximum impio & maligno animo deſignâſti, aut reipsâ perpetrâſti, inferorum pœnas es commeritus, cum igitur quidpiam aut acerbitatis, aut injuriæ, aut probri,

 ſive

ſive à Dei providentia, ſive a
inimicis patiare, tecum iſtud re
putato. Pridem æternos igniu
inferorum cruciatus promerui
& quid exiguum hoc, quod pa
tior, ad illas pœnas?

3. Veſtium ac menſarum lu
xus, familiæ, & ſupellectilis ſplen
dorem nimium, ac inanem pom
pam fuge.

4. Si quando ſuperbiæ ſpiri
tus obluctetur, ſanctiſſimi illiu
viri humilis & humiliati ſenten
tiâ utaris: Putredini dixi, pa
ter meus es, mater mea, & ſoro
mea, vermibus, *Job* 17. 14. &
addas, Quid turges ſaccus ſte
corum, terra & cinis?

5. Te tuáque bona opera la
tere ama, niſi quando velit Deu
in ſuam gloriam, & Eccleſiæ com
modum, te in publicum prodir

6. I

6. In officiis vilibus & abjectis, tuipſius & aliorum gratiâ, occupari ne dedigneris.

7. Pronis auribus, monentem & corrigentem audi: neque facilè excuſationem obtrude.

8. Mortem, Judicium, Inferos, ſæpè ſæpiùs cogita: hæ depictæ in animo tabulæ te tibi repreſentant. Veſperi id ages commodiùs: lectus ipſe ſepulchri, ſomnus mortis quædam imago eſt.

9. Ea quæ ad tui commendationem faciunt omninò ſile: cave, nè quid de te rebúſque tuis vendites, jactites, oſtentes. Naturæ dotes, virtutem, eruditionem, & avorum fumoſas imagines. Quid habes, quod non accepiſti? 1 *Cor.* 4. 7. ſi autem acceperis, quid, quaſi

de tuo, gloriaris? Homo vani-
ſime, obline te tuo luto. * Pulv
es, & in pulverem revertêris
*Gen.*3.19. peccatum ſolum opu
eſt tuum: hîc habes, unde pu
dore afficiaris, non unde effe
raris.

10. Oculos ſubmiſſos tene
terram aliquando aſpice, & t
illius inutile pondus, exiſtima.

11. Cum per Cœmiteriu
iter facis: Hæc (inquies) nob
hominibus conſtituta eſt d
mus: eò igitur omnes imus &
inſoleſcimus?

12. Neminem ex inimicit
torvè contuere, aut morde ve
bulo, aut geſtu quovis offend
Eſt manſuetudo humilitatis a
partus, aut ſoror.

13. Aliorum judicio rect
rationi conſentaneo, facilè ced

to. Noli altum ſapere, ne ſis prudens apud temetipſum, *Rom.* 12. 16. locum cæteris honoratiorem commodiorémve ſponte deferto: cum tenuibus, pauperioribus, lubens, volens verſator. Carceres, domiciliáque ægrotorum, & pauperum ad benefaciendum illis frequens adito.

14. Porrò, non tantum te ipſum omnium ultimum, ac miſerrimum reputato; ſed exteriùs pro tali te habe: & ſi ab aliis ita habearis, ne triſteris, ſed potius gaude. *Jac.* 1. 10.

15. Denique ſi quando inſolentiùs animum inflari ſentias, tumorem hac cogitatione deponito. Quid fui, Domine, quid ſum, quid ero? Fui nihil, nihil adhuc ſum, & fortè ero pejus

nihilo,

nihilo. Fui conceptus in originali peccato, ſum plenus peccato actuali, &, niſi reſipiſcam & Evangelio credam, condemnandus ero pœnâ gehennali. *Marc.* 1. 15. *Marc.* 16. 16. *Luc.* 13. 5. Fui certè ſperma fætidum, ſum ſaccus ſtercorum, ero eſca vermium. Sic fui, ut in illo ſtatu permanens, damnari non poſſem; ſic ſum ut propter demerita mea, ſine merito tuo, ſalvari non poſſim; ſic ero, ut æternum vel culpa mea damner, vel gratiâ tuâ ſalver. Quid fuerim, ſcio, nimirum peſſimus; quid ſim, neſcio, niſi à te illuminer, quid ero, æquè ignoro, niſi à ſpiritu tuo certior factus fuero. Tu quod fui, Domine, ignoſce; quod ſum, corrige; quod ero, dirige: dáque ut

ſemper

ſemper hæc ſapiam, & de me humillimè ſentiam.

Cap. IX.

Actus Modeſtiæ.

MOdeſtia, humilitatis germana aut filia, decentiam, compoſitionémque totius corporis curæ habet. Veſtes tibi, velim, nec ſordeant, nec nimis reſplendeant: ſit inceſſus inartificioſus, at non levis. Geſtus iſtiuſmodi quem ratio præſcribat. Caput erectum, modicè inflexum, frons aperta, non caperata: oculi non ſuperciliosi, non errabundi, nuſpiam malè defixi: labia nec nimium preſſa, nec fædè diducta: vox maſcula, ſonus nonnihil fractior, ſermo

ſermo purus, ſimplex, innoxus: manus nihil comicum aut histrionicum agant, abſint & ſcurriles geſticulatiunculæ. In his quid pecces temet ſæpè roga, adde & fidum Cenſorem: ferè enim hic quiſque cæcus eſt. Modeſtiæ autem ſtudebis etiam privatim & cùm ſolus es, alioquin in publicum veniens impinges nulli negotio. Ita modeſte in cubiculo & ſine arbitris dege, ac ſi oculi omnium te viderent.

C A P. X.

Actus Patientiæ.

1. TEmporum injurias, frigus, æſtum, pluvias, naturæ incommoda, ſitim, fa-

mem

mem, perfer non gravatè. Propter peccata tua magna & multa quæ admisisti, millies istis graviora mala es promeritus: id si cogites, feras priora leviùs.

2. Morbos etiam quantumvis acerbos, ac diuturnos, tanquam dona de numinis manu accepta, exosculare: beneficium est quod maleficium arbitraris. Id noverat qui olim dixit, Domine hîc ure, hîc seca, ut saltem æternùm parcas.

3. Si itaq; longo & gravi morbo afflictus motu impatientiæ agiteris, animum titubantem ita sustenta: Sustine, anime mi, qui te flagellat, Pater est amantissimus; qui urit & secat, Medicus est sapientissimus; jam melius & meliùs tecum erit: qui hîc urit, posteà parcet. Ignis hic

hic vitia excoquit, & ſplendo-
rem auget. Ad hæc, cogita
Chriſtum in cruce patientem,
& cum eo tot Martyres: ſi
compateris, corregnabis.

4. Si quid præterea calumni-
arum, aut injuriarum in te ab
aliis congeſtum, conjectúmq;
fuerit, obdura; & non ſolùm
forti animo perfer, verum etiam
conſtanti.

5. In iſtis omnibus, quæ-
cunq; cauſæ extiterint malorum,
ſile: vel queri minimùm, impa-
tientis eſt animi. Cave ne na-
turam, cœlum, elementa, homi-
nes ipſos accuſes. Nemo tibi
erit nocentior, quàm tuipſe, ſi
non feras. Juſtus eſt Dominus
& recta judicia ejus.

6. Si nihil interim conſola-
tionum, ne ſpiritualium quidem
tibi

bi affundi ſentis ſi purum pu-
um fel propinetur, exorbe; at-
ue ita loquere neque fas, ne-
ue bonum eſt accipere panem
liorum, & dare canibus; mi-
as quidem cadentes catelli e-
unt; at ego non ita vixi, ut
el micam habere poſſim.

7. Hic tu tibi vide, ne in
ſtis moleſtiis ex rebus creatis,
rætermiſſo Creatore, conſola-
iunculam putidiùs emendices,
ec mediis in hunc finem utaris
llicitis.

8. Continget non rarò, ut
cum maximè piùs, ac probus
eſſe velis: plurima, & pluri-
mi obluctentur, etiam oggan-
niant, & allatrent: ne tu pro-
pterea vel latum unguem ab
officio, inſtitutóve deflecte,
injurias ne commemora aliis,

imò ipſe obliviſcere.

9. Si amici, ſi parentes ip-
deſtituant, dic, nudus nudu
Jeſum ſequar, dicamq; poſtha
cònfidentiùs, Pater, qui es in Cœ-
lis, ſanctificetur nomen tuum
&c. & cùm Davide, Pater me-
us, & mater mea derelinquun
me, ſed Jehovah recipiet me
Pſal. 27. 10. & illud ſcito for
ut extremis his diebus inſten
tempora moleſta, & omnes qu
volunt piè vivere in Chriſto
Jeſu, perſecutionem patientur
2 *Tim.* 3. 12.

10. In fidei, ac Religioni
causâ, ſi te aliquid pati tem-
pora, & res cogant; carceres, &
mortem ipſam ne timeas, ſe
potiùs cum Apoſtolis gaudeas
quoniam dignus habitus es pro
nomine Jeſus contumeliâ affici

Acts 5

Acts 5. 41. & mori cum Paulo, si necesse fuerit, sis paratus, *Act.* 21. 13.

Cap. XI.

Actus Christianæ abdicationis rerum temporalium Christi causâ.

1. URgente necessitate: opes desere, ut in communi fidelium inopia, in persecutionum fervido, & furenti æstu, vel si nimius sit divitiarum amor, tantus nimirum, ut vel abjiciendæ sint divitiæ, aut amittendus sit Christus; *Act.* 4. 32, 34, 35. *Hebr.* 10. 34. *Matth.* 19. 21. & si hoc feceris, meriti tamen opinio longissimè absit; dixit Apostolus Paulus, quæ mihi fuerunt lucra,

hæc arbitratus sum propte Christum detrimenta. Omni arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveni in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, illam quæ ex Deo est, justitiam in fide, *Phil.* 3. 7, &c.

2. Erues omnem pravam opum appetitionem, honorem mundanum contemnes, imò ipsa amicorum, rerúmq; terrenarum solatia respues, si te à fide Christi, & à virtutis studio revocent.

3. Si bonorum omnium erogationem & dimissionem Religio non postulaverit; cum tamen superfluas, rerum, quæ ad hanc vitam pertinent moderabere.

4. Avar

4. Avaritiam, quæ ab Apostolo Idolatria vocatur, *Col.* 3. 5. odi, ac fuge. Radix omnium malorum est pecuniæ cupiditas, quam quidam appetentes, aberraverunt à fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis. Tu autem, hæc fuge: Sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, 1 *Tim.* 6. 10, 11.

5. Divitiæ si affluant, noli cor apponere: ita regius psaltes imperat, *Psal.* 62. 10. opum tuarum dominus esto, non tu earum mancipium.

6. Ita esto animo compositus pati egestatem magis, & mortem, quàm fraude aut peccato quovis opes congerere: itémque vel imperia ipsa, si haberes, derelinquere, si cœ-

lum vocat, imperátive.

7. In dapsili prandio aut cœna, si epulum nuptiarum, justorum funebrium, aliáque solenni causâ apparaveris, certam eduliorum partem repone, quod Christo præbeas, pauperibus, ægris præsertim domi jacentibus, vel in carcere, aut aliâ angustiâ positis.

8. Si opes suppetant, in pauperes aliquid quotidiè distribue. Fœneratur Deo qui dat pauperi, *Prov.* 19. 17. petenti igitur stipem tu statim commodato: eos velim inprimis tibi esse commendatos, quos aut necessitas ad fœda flagitia compellit, aut ingenuitas à stipe corroganda avocat, Si nihil habes, quod des, at bona saltem verba reddito. Dominus est, qui

qui ex donis à ſe tibi datis, denarium, vel obolum, vel fruſtulum panis, vel aliquantulum potûs, repetit. Liberos, famulos, ancillas, ita loqui jubebis; Pater, Here, Chriſtus pro foribus ſtat, eleemoſynam petit, ſtipem filii ipſi ferant, ita olim miſereri condoceantur: E cujuſvis diei lucro, & è quovis contractu partem aliquam demere, quam indigentibus numeres, ſi hoc poſſis, valdè pium eſt. Quidam hoc faciunt, quos ſi imitere, beatus eris.

9. Hoc in pauperes officium nec moriens negliges: Teſtamento, ex aliqua parte ſaltem, tuorum bonorum hæredem Chriſtum ſcribe: ita mercedem in cœlis habebis.

Cap. XII.
Actus Justitiæ.

1. JUstitiam exerce,& loquere veritatem ex animo tuo. Ne linguâ tuâ obtrectes, nec proximo tuo malum facies: si jures proximo in damnum tuum, non tamen muta.

2. Suum cuiq; tribue; neminem læde; quod tibi non-vis fieri, alteri nè feceris: omnia quæcunq; vis ut homines faciant tibi, & tu facito illis, *Mat.* 7.12.

3. Quod debes exolve, aliena redde, cave ne pauperum mercedem durus apud te retineas: deteſtabile eſt coram Domino, *Levit.*19.13.

4. Non

4. Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus, nec erit in domo tuâ modius major & minor : pondus habebis juſtum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, ut multo vivas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi : abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & averſatur omnem injuſtitiam, *Deuter.* 25. 13, &c.

5. Ne ſis ingratus : agnoſce & profitere, à quo & quanta acceperis beneficia : ſimúlq; declara ſtudium præſtandi benefactoribus tuis mutua officia honeſta, tibiq; poſſibilia.

6. Impium ne juſtifices, & judicium ne pervertas, neque in alicujus perſonam affectu ni-

mi

miæ dilectionis inclines: non accipiēs munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum, *Deut.* 16.19. Concordiam ſerva, & commune bonum propriis emolumentum præpone.

Cap. XIII.

Actus Obedientiæ.

1. MAjorum tuorum, Paſtorum præcipuè vocem, ut divinum oraculum audito: illis, & cum Magiſtratibus, tum parentibus obſervantiam præſtato; eorum dictis obediens eſto. Faeies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem eligerit Dominus, *Deut.* 17.10.

2. Leges

2. Leges Reipublicæ, aut Communitatis, in quâ vivis, exactè & constanter observato. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, *Rom.* 13. 1.

3. Si sis filius-familias, si servus, superiorum nutus attendito, imperata mox exequitor.

4. Si à jussis abhorres obtemperato, nisi rem malè præcipi liqueat: ubi enim mandatum voluntati divinæ contrarium est, Obedire Deo magis quàm hominibus, *Act.* 5. 29.

5. Si justa imperantur, licèt dura sint, concoque, & peragito.

6. Obedito autem sine morâ, & integrè.

CAP. XIV.

Actus Castitatis.

1. INgentem pudicitiæ amorem in te excitabis; impudicitiæ verò grave odium.

2. Removendæ omni ſtudio omnes luxuriæ occaſiones. Averte oculos à formoſulis, in mulieres ne contorqueto, nè defigito illos: Aures & ora obſcœnitati, & ſcurrilitati duplici ſerâ occludito: ab impudentioribus jocis, & geſticulationibus abſtineto. Impudicos ſocios, & noxias familiaritates cane pejùs & angue defugito. Cum ſolus es, nè libidini deditus ſis; noli peccare, Deus videt. Cuticulam ne curato: Veſtes mol-

es, pocula, & lautæ menſæ cor-
oris, animíque mollitiem, ac
ibidinem creant. Loca peri-
uloſa, otium, libros obſcœnos,
ncæſtas imagines & tabellas,
aſciva theatra, tripudia inve-
ecunda, execrator. Veriſſi-
num hîc iſtud, Qui fugit Ve-
erem, fugat.

3. In pia cogitatione obdor-
miſcito: cum expergiſceris, ſi
quæ occurſent fœda phantaſ-
mata, fortiter excutito: Jeſum
tuum inclamato: animum aliò
magno niſu convertito.

4. Similiter ſi per diem re-
curſent ejuſmodi imagines, aut
ſuggeſtiones, obſiſtito prece &
obfirmatione animi. Cogita
præſentiam Dei, & Angelorum,
crucem Chriſti, mortem tuam,
judicium, inferos: his clavis

importunarum cogitationum clavos extrude.

5. Animæ maculas sæpius eluito, si te peccato carnis pollueris, confitere, cum Davide prævaricationes tuas Domino *Psal.*32.5. Nathanem quendam fidum & prudentem delige, qui te resipiscentem consoletur, & dicat, Transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris 2 *Sam.*12. 13.

6. Vade, noli amplius peccare. Peccanti medicina confessio, at tu pro virili tentationis principiis obsta. Cùm itaq; primum, concitatis ad rebellionem appetitionibus, hostem adesse senseris: jam hic tibi omnis admovenda machina, aut periisti: serpens iste ubi primùm ingredi licuit, progredi

ur, séque totum insinuat. Ergo statim vires omnes colligendæ: nascentem ut Hydram suffoces, aut extinguas, mentem aliò avoca, divinam opem advoca, ut priùs monui: Accinge te ad aliquod opus grave, honestum & utile, ne te dæmon præoccupet.

7. Obsecro te, per misericordiam Dei, ut exhibeas corpus tuum hostiam viventem, sanctam, beneplacentem Deo, *Rom.* 12.1. Nè facias membra Jesu Christi membra meretricis: corpus tuum debet esse templum Spiritus sancti: emptus es pretio, pretioso, nempe, sanguine Christi; glorifica Deum in corpore tuo, & in spiritu tuo, quæ sunt Dei. Egregriè de hac re disserit Sanctus Paulus, 1 *Cor.* 6.

CAP. XV.

Actiones Temperantiæ.

1. QUantitatem ciborum ſaluti corporis neceſſariam, & ſaluti animæ non officientem accipe, in comeſtione æſtum & nimiam aviditatem cohibe. Quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſume.

2. Sobrius eſto, & vigilato: adverſarius tuus, Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret, 1 *Pet.* 5. 8. Attende tibiipſi, ne fortè gravetur cor tuum crapulâ & ebrietate, & curis vitæ hujus, & repentina in te ſuperveniat dies Domini, *Luc.* 21. 34. Væ tibi ſi conſurgas manè ad ebrietatem ſectan-

ſectandam, & potandum uſque ad veſperam. Væ tibi, qui es fortis ad bibendum, *Eſa*.5. 11. 22. Te itaque jubeo, & per tremendum diem judicii te adjuro, ut quantùm poſſis, ebrietatis malum auxiliante Domino, fugias. Ebrioſi unâ cum fornicariis, idololatris, adulteris, mollibus, maſculorum concubitoribus, furibus, avaris, maledicis, rapacibus, à regno Dei excluduntur, 1 *Cor*.6.6,10.

3. Ne cerviſiam, vel alium potum inebriantem præbeas alteri uſque ad ebrietatem. Væ tibi, ſi hoc agas: hic accommodari poteſt illa ſimilitudo prophetæ loquentis de judicio Chaldæorum, *Habac*.2. 15, 16. Bibe tu quoque at calix dexteræ Domini ad te convertetur,

& vomitus ignominiæ erit super gloriam tuam.

4. Quamvis adjuratus fueris per nomina magna, vel chara, vel si præmiis aut pœnis inducaris ad pocula superflua evacuanda, ne consentias.

5. Non solum ab imitatione, sed etiam à consortio potatorum abstinere debes; secundum illud Apostoli: Si quis, cum frater nominetur, sit ebriosus, cum ejusmodi ne edatis quidem, 1 *Cor.* 5. 11. Si Ecclesia tam negligens est, ut publicè peccantem, nec resipiscentem, non excludat; si cesset magistratus sontes gladio ferire, privatus quisque ab impudenter peccantium consuetudine sibi temperet, ne aut alienis flagitiis favere videatur, aut alieno crimine

mine commaculetur, maximè si recipiſcentiæ ſpes nulla ſuperſit.

6. Sufficiens ſit tibi præterito vitæ tempore, quæ libent Gentibus, perpetrâſſe, incedendo in laſciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comeſſationibus, compotationibus, & nefariis ſimulachrorum cultibus. — Omnium finis imminet: Eſto temperans, & ſobrius ad preces, 1 *Pet.*4. 3, 4, 7. Et Dominus det tibi intellectum in omnibus, 1 *Theſſ.*5.27. 2 *Tim.* 2. 7.

Cap. XVI.

De blasphemia & juramentis.

1. NUnquam os tuum aperire audeas in cœlum verba emittere, in Deum juramenta atq; blasphemias; nunquid non ipse Pater tuus est, qui tibi benefecit? pulverem è terra capiens, & in faciem vitæ spiraculum inspirans formavit te, sub pedibus cuncta subjecit tuis, nocte te dormientem custodit, excitatum protegit, esurientem nutrit, nudum vestit, pusillanimum solatur parva sint hæc, adjiciam majora; filium suum unigenitum pro salute tua tradidit; nè itaque reddas pro bono malum, immemor beneficii, ne

ne fortè ignis de cœlo descendat & te devoret, ne forsan terra subtus repentè rumpatur & te absorbeat, nè in grave salutis periculum conjiciaris; Lapidem qui sursum jaciunt, in suum caput jaciunt, cùm lapis eodem unde jaculatus est redeat.

2. Deus uti summus amor cordis, ita & summa laus, & glorificatio oris nostri esse debet. Vir multum jurans replebitur iniquitate, nec recedet à domo ejus plaga: Obest enim nomen ejus assumere in vanum, quod magnum est ad timendum, sanctum ad venerandum, dulce ad meditandum, occultum ad sciendum, potens ad salvandum. Apud Ethnicos nemo Herculem jurabat sub tecto, sed sub dio tantùm, quasi in ipsius dei

oculis

oculis & præſentia.

3. Pro te ſufficient tres juramenti comites: primò judicium vel circumſpectio, nè ſiat divinæ majeſtatis invocatio ſuper re vana, vel etiam momenti alicujus abſque notabili neceſſitate. Secundò, juſtitia vel æquitas, tam in ſe, quam in ordine ad alterum, ut nemini fiat injuria; qui enim ſuper iniquitate jurat, maledictus eſt. Tertiò, veritas, ut ſermo ſit, eſt, ſi revera eſt, vel non, ſi non. Hæc ſunt ornamenta, quæ conſtituunt juramentum in ordine virtutis; quòd ſi vel unum iſtorum deſit, illicitè juratur.

4. Nomen Dei ſanctum ab aliis blaſphemari, pro viribus impedias; ſervi principum non ſolùm ſuis dominis non maledicunt;

dicunt, ſed nec eos ulla injuria laceſſiri ab aliis patiuntur; nec Turcæ ſuo Mahometo, nec Ethnici ſuis diis maledicere audent; quanto minùs tu Deum verum, æternum, optimum, maximum, injuria afficeres.

Cap. XVII.

De Sabbato Christiano.

1. SUbſtantia præcepti de obſervatione ſabbati eſt moralis, ut unum aliquem diem ſingulis ſeptimanis in honorem Dei ſanctificemus: 1. ut ipſe Deus publicè in mundo celebretur: 2. ut pietas electorum publicis exercitiis excitetur 3. ut homines ſeſe mutuò in fide ædificent, & alii alios ad

pietatem provocent. 4. ut consensus in cultu Dei & Ecclesiæ doctrina servetur. 5. ut Ecclesia in mundo sit conspicua, & à reliqua hominum multitudine discernatur. Quia vero primus hebdomadis dies huic quieti & spirituali exercitio, vel à Christo immediatè, vel ab Apostolis ab eo inspiratis, destinatus est, adeo & ille à te tuísq; religiosè observari debet, *Apoc.*1.10. vocatur enim κυριακὴ, id est, Dies Dominicus; primus dies hebdomadis, quo Ecclesia ad frangendum panem, communicandum sanctorum usibus, audiendum verbum Dei & invocandum Deum congregabatur, *Act.* 20. 7. & sequent. 1 *Cor.*16.2.

Hunc diem Christus gloriosa sua

ſua reſurrectione nobilitavit, *Joh.*20.1. atque teſtante Athanaſio, ὁ Κύριος μετέθηκε τὸ σαββατὸν εἰς κυριακήν, id eſt, Dominus tranſtulit ſabbatum in diem Dominicum. Hilarius autem prologo in Pſalmos dicit, Nos octavâ die, quæ ipſa prima eſt, perfecti ſabbati feſtivitate lætamur. Teſtatur etiam Juſtinus Martyr, qui altero poſt nativitatem Chriſti ſeculo vixit, in defenſione ſua pro Chriſtianis, ad Antoninum Pium Imperatorem, die ſolis urbanorum & ruſticorum cœtus factos fuiſſe, ubi Apoſtolorum & Prophetarum literæ, quoad fieri poterat, prælegebantur. Deinde præpoſitus verba faciebat adhortatoria, ad imitationem tam honeſtarum rerum invitans;

post hæc, inquit, consurgimus omnes & preces offerimus, quibus finitis, profertur panis & vinum.

3. Denique Conciliorum judicium & Ecclesiæ praxis, hujus diei celebrationem, omnibus à Christo seculis usque ad hæc ultima & deteriora tempora, in quibus hæreses & sectæ monstrosæ & horrendæ, magis quàm antè, pullularunt, confirmant & approbant.

4. Sex diebus Dei permissu corpori & terrenis tuis commodis consulere potes: cur unum diem animæ tuæ emendandæ & saluti ejus promovendæ non impenderes? Verè diem Dominicum nundinas Dei appellare licet, quas emendarum rerum ad salutem necessarium

rarium causâ frequentare tibi necesse est.

5. Comparabis hoc die absq; pretio cibum angelorum, aquam vitæ, vinum Sacramenti, & lac Verbi, quibus anima tua pascatur, *Esa.* 55. 1. Emes à Christo aurum igni exploratum, ut dives fiat fides tua, Collyrium quo oculi tui inungantur, & cæcitas spiritualis sanetur, vestimenta alba justitiæ salvatoris, quibus induaris, nè manifesta fiat nuditas animæ tuæ, *Apoc.*3.18. Recordare itaque diem sabbati Christiani, ut sanctifices illum: sic Dei benedictionem & uberrimam consolationem perpetuò senties.

CAP. XVIII.

De Peregrinatione.

DILECTE FILI,

BRevia ſum tibi traditurus de peregrinandi modo præcepta; in egreſſu, progreſſu, regreſſu; erga Deum, Teipſum, Proximum; hæc vellem ut probè obſerves.

De fine peregrinationis diu multúmque cogita: Et prudentium amicorum conſilio utere.

Sis diligens & verè intelligens, ut inter bonum & malum diſtinguere nôris.

Mo-

Modeſtè alios conſulas, nec ab ullo ediſcere erubeſcas.

De te tuiſq; quàm parciſſimè & apud pauciſſimos loquaris.

Curioſitatem cum temeritate conjunctam vitare debes.

In alienâ regione ſis decenter mutus ac ſurdus.

Officioſus ſis, & humanus alloquio erga alienos & populares obvios.

Ruſtico pudore abjecto, liberam præ te feras modeſtiam.

In ridendis aliis ſis parcus.

Amicis ſalutem crebrò mittas per literas vel nuntios.

Operam des ut quantum ſincero cultui Dei decedit, tantum internæ abſq; omni ſimulatione accedat pietati.

Hilaritate narrationum, can-

tionúmq; honestarúm, itineris tædium subleva; absque omni in dictis aut factis scurrilitate; sanctis meditationibus, colloquiis, atq; hymnis, iter ipsum condias.

Commorationem quod attinet.

De rebus sacris, Regimine politico, & moribus urbanis cujusvis loci sit sedula & cauta Inquisitio.

Noli magnam pecuniæ vim sive gemmas ostentare, namque grassatores invitabit & periculum.

Ne quid attonitus mirare, namq; argumentum erit te nihil simile vidisse domi.

Noli aliquid mirandum fastidire, ne iniquus aut ineptus videare.

Si

Si tibi familiaris sit lingua Latina, quocunq; peregrinaris nusquam eris peregrinus.

Gentium multarum prudentia & ingenium sub Proverbiis latent: sis igitur linguæ peritus.

Noli nostratium societatem vitare ne profugus videare; noli nimis ambire, nam plerunq; inutilis est.

Quævis gens quibusdam præsertim gaudet, item quibusdam malè audit utraq; ne careant notâ.

Quodcunque memorandum occurrit, literis committas: nam prodesse possit & delectare.

Sis memor patriæ, ut nihil indignum agas vel patiare.

Si non possis sustinere, abstine.

Noli pericula turpiter vitare, nec temerè invitare.

In omnibus te geras, ut Deo & amicis rationem reddas.

Reditum quod attinet.

In Patriam redux, noli garrulitati ſupra fidem indulgere, ne ſis mendacio infamis.

Noli domeſtica ſpernere, quantumvis quædam jucundiora videris.

Magis, quis redis, quàm undè, intereſt.

Cave ut melior, aut ſanior redeas, non tam cœlum quàm animum mutaſſe.

Pauperrimus redit, qui ſe foras perdidit.

Sis facilis ignota rogantibus, etiam ridenda feras, aut modeſtè corrigas. Of-

Officiis peractis quæ Deo debentur & amicis, ne domi ſis peregrinus, quærenda erit rerum facies; numquid (te abſente) tulerit, tranſtulerit, aut abſtulerit patria.

Multa Tibi debes, plura Amicis, omnia Deo.

Hæc habuit amantiſſimus Pater terrenus, quæ tibi planè in mandatis daret; & Patri luminum, cœli terræq; Domino, qui te plenè illuminabit, & in viis rectis ducet; te domi foriſq; commendat.

CAP. XIX.

De Recreationibus.

1. LÆtitiam rectè moderari debes ; cogites Deum quidem esse qui dat lætitiam in corde tuo, quique honestam recreationem qua amaritudinem hujus vitæ temperes, tibi non invidet : Sed rationem hujus concessæ lætitiæ aliquando exiget, qua de re Salomon scribit : Lætare juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum ; & scito quod pro omnibus his, adducet te Deus in judicium, *Eccles.* 11. 9.

Dum

Dum igitur lætaris, ex oculis tuis non ponas Deum, tanquam inspectorem & judicem uniuscujusque operis tui; in omnibus operibus tuis memorare novissima, & nunquam peccabis.

2. Deinde cogites, nullum hujus secnli gaudium esse perfectum, sed cum dolore temperatum, qui gaudium vel comitatur vel sequitur: ita igitur exporrigas frontem in rebus secundis, ut paratus sis ad ferendas res adversas, si Deus voluerit; in die bonorum, nè sis immemor malorum.

3. Recorderis quod gaudium hujus seculi non sit optimum, sed unum ex donis temporalibus & caducis, quæ etiam impiis contingunt: Idcircò non

totum te immergas tali lætitiæ, quaſi ſummum tuum bonum in ea ſitum ſit.

4. Gaudium hujus ſeculi, niſi ſponte ſeſe offerat, nè nimiùm appetas, ſed contemnere diſcas, ita ad cœleſte gaudium tanto magis aſpirabis: Juſtum eſt ut Deum amittat, quicunq; in alio magis quàm in Deo conſolari deſiderat.

5. Recreationes non ſint 1. ſumptuoſæ. Deus dedit pecuniam, ut habeas unde familiam alas, unde pauperibus conſulas, non quas conjicias in caſum, vel fortunæ ludibrio & prodigæ voluptati exponas. 2. non ſint crudeles, vel ſanguinolentæ, ne creaturas pugnantes aſpicere delecteris. 3. nè ſint longæ: nè deliciis

vaces;

vaces; punctum est quod vivimus, & puncto minus; tempus pretiosum & breve est, cujus gravis in die novissimo reddenda ratio.

6. Recreationibus de quibus pii dubitant, an licitæ sint, penitus abstinere tutum est.

7. Noli ventrem tuum alere, ut equum Caligula, cui delicias regum ingessit, pro gramine & fœno, quod natura assignavit.

8. Non te oblectent ludi, quos cum insania frequentant multi. Ludus illicitus, inventio diaboli est, ara fortunæ, officina fraudis, schola avaritiæ, palæstra iracundiæ, professio blasphemiæ. Quomodo excusari potest in Dei judicio, qui ludendo plena manu aurum

prodigit, & interim mercedem detinet operarii, vel eleemosynam pauperis qui ad januam ejulat ? Quis non horreat Christianum qui ludit in sanguine, vel domesticorum suorum, quos negligit, vel pauperum, quos expoliat ? Apage cum delectationibus istis.

9. Si admittendus aliquando ludus licitus est, fiat moderatè, fiat inter æquales ; sine cupiditate & animi perturbatione, de modico, & ut quidam monet, in usum pauperum.

10. Ad recreationem, ut honesta sit, tria requiruntur : Primò, electio personarum ; eligendi sunt boni, evitandi mali ut scopuli ; conversatio fugienda ferocium : proprio judicio pertinaciter insisten-

tium

tium: vafrorum, iracundorum, & joculatorum. Secundò, bona intentio ad conſervationem valetudinis & virium pro obſequio animi. Tertiò, pro innocentia, majore ſtudio opus eſt, nè natura per indulgentiam vitæ liberiori magis quàm decet, generoſum pectus aſſueſcat. Hebræi dixerunt, Ludum, choream, poculum & colloquium eſſe feneſtras animæ, per quas magis quàm par ſit, ſæpè videtur. Prudens cenſetur qui in congreſſu ſeipſum obſervat, & ſpiritum acuit, ut aptior quotidie ad functiones ſuas reddatur: longum eſſet ſingula enarrare. Deus te per omnia ſanctificet, ut ſis animo & corpore inculpatus, & talis inveniaris, in adventu Domini,

cum veniens ad judicium reddet unicuiq; ſecundum opera ſua: interim ſuggerat tibi Deus, quomodo te in omnibus geras; & Dominus te ſervet in regnum ſuum cœleſte: cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.



TABULA.

CAP. 1.

CAP. 2.

CAP. 3.

CAP. 4.

CAP. 5.

CAP. 6.

CAP. 7.